

DE MISTIONE
ET COMPLE-

XIONE GENERATIM,
DISPVATIO PHILOSOPHICA, IN
HERBIPOLENSI SOCIETATIS IESV COLLEGIO
proposita. respondente, in philosophici Magisterij
petitionem, erudito liberalium artium
Baccalaureo,

R. CHRISTOPHORO BADERO TABER
nensi Alsatico; ordinis D. Benedicti in Mona-
sterio Theres Professo.

PRAESIDENTE
M. FOSSANO MASIONO
LEODIO SOCIETATIS IESV, PRIMAE
Philosophiæ professore ordinario.



WIRTZBURGI,
Ex Officina Henrici Aquensis, Episcopalis
Typographi, Anno 1584.



REVERENDISSI-
MO ATQVE ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI IVLIO, ECCLESIAE WIRTZ-

BVRGENSIS EPISCOPO, ET FRANCIAE

Orientalis Duci, D. Domino suo
clementissimo.



Eterum Ecclesia Doctorum, Reuerendissime
Pater, Dux Illustrissime, & sententia & oratio
ea creberrima fuit, Monachos Christiana dis-
ciplina Philosophos esse. vereg, eos Philosophari,
qui a rerum fluxarum contagione, ad aeternarum
lesi, diuinarumq, meditationem totos transferrēt.
Unde factum citam videtur, ut, quod A. Gellius
Pythagoreis proprium fuisse ait, id iam Mona-
chis fere omnibus commune sit ^{το κοινόν}. Neg, tamen id sapientissimi illi
homines voluere, oportere in Platonis aut vero Aristotelis, de arte disse-
rendi, natura obscuritate, morum conformatione, disputationibus, Mo-
nachum magnopere versari: sed vera sapientia cupiditate flagrantem,
omnia, quae mundus iste suspicit, querit, miratur, pra illa nihili pendere:
ad Deiq, voluntatem, & nutum, quidquid tandem euenerit, firmē con-
stanterq, adherescere. Hac enim vera Philosophia. Quod cum mihi iam
pridem persuaserim, de ista prius, & multo sanē sollicitius semper cogitan-
dum, & laborandum putavi. non tamen illam omnino, quae ad differendū,
naturamq, rerum pernoscendum valeret, deserendam. Huius enim verē
magna, cum vilitas, tum necessitas. Vnde enim in nostris quondam ani-
les ille & pueriles de Dei manibus, pedibus, alijq, membris delirationes,
quae, ut Anthropomorphita vocarentur, effecerunt? Undē in ista here-
seon hodiernarum tempestate, propter ineptissima alicuius ratiuncula
vel auditionem vel lectionem, tam incerti tamq, fluctuantes multorum
animi? Undē ad veram lacertosamq, contra errorum omnium copias,
Theologiam tanta ex tanta eorū, quos literas tractare oporteret, multitu-
dine, paucitas? Undē? Nonne ex Philosophicarum disciplinarum igno-
ratione? Quamobrem Princeps Illustrissime, est ut tibi Franconia tua
Monachi omnes, gratias agamus, quod vtramq, Philosophiam, Christi-
anam inquam, & exoticam illā, ut coniungere velimus, tam serio moneas

& ut possimus, tanta cura & sumptu provideas. sed in primis hoc tibi nos
Therenses debemus, quorum & monasterij vetustatem renouari, & dis-
ciplina ruinas fulciri curare cepisti. adeo quidem, ut Augustam Treu-
rorum, quo religiosa vite succus huc olim vberior afflueret, nostros ali-
quos, tua in Academia natos alioquin & altos, proficisci volueris. Atq;
hunc animum nostrum ut cognosceres, hasce meas de mystione (ex qua
magnas in Theologia grauesq; in Dominica incarnationis mysterio, in
mystici vini & aqua benedictione, alijsq; similibus, quaestiones pendere
audio) & complexione Theses, C. T. dicare volui. rogans, ut monasterij
nostri rationes in aliqua grauisssimarum alioquin curarum suarum parte
esse patiatur. nosq; ad veram sanctitatis & religionis monasticam ideam
incitare haud desistas. ut nostris in templis & caenobijs pro C. T. incolu-
mitate, manus ad Deum puras & innocentes tollere semper valeamus.
Ex Conuictorum domo Herbipoli. 8. Cal. Decemb. Anno 1584.

Reuerendis, atque Illustris. C. T.

Obsequentissimus

F. Christophorus Baderus.

DE

DE MISTIONE ET COMPLEXIONE GE- NERATIM.

THESIS I.

MISTIONIS nomen quam latè pateat, nemo est qui ignoret. Nam quæ sibi mutuo iuxta posita, atq; secundum superficies integra perseuerant, & quorum alterum in alterum corrumpitur, & quæcumq; ex alijs cõposita sunt, mixta vulgò appellantur. Nos de ea duntaxat mistione nunc agimus, quæ ex quatuor elementorum (terræ scilicet, aquæ, aëris & ignis) secundum materias vnione atq; alteratione consurgit, eorundemq; corporum affectio non iniuria censetur.

II.

Hanc elementorum mistionem, in rebus non modo posse existere, sed maximè necessariam esse, tam mistionis causâ, quam mistorum innumera varietas, vniuersi pulchritudinem & perfectionem constituens, manifestè declarant. Siquidem non solum ex misti præexistentis semine noua mista à natura produci, experientia quotidiana edocemur.

III.

Potest autem mistio huiusmodi (quam elementorum secundum materias proprias compositionem esse diximus) hac ratione rectè defini, vt sit corporum miscibilium alteratorum vnio: seu corporum specie diuersorum inter se iuxtapositio, diuisio, alteratio ad eam, quæ ex ipsis oriatur, nouam substantiam disponens. Mistum verò id, quod ex huiusmodi corporibus specie diuersis, tâquam ex materia coagmentata componitur.

IIII.

Dicimus mistionem esse vnionem corporum specie diuersorum, quoniam ea, quæ eiusdem speciei sunt, cum contraria non sint, misceri propriè non possunt. Integra enim nihilq; hebetata vel singula per se manent, vel (quemadmodum cum vinum simili vino, aut aqua aqua infunditur) substantia vnus, in substantiam alterius abit, in vnumq; concresecunt.

V.

Rursum ea quæ misceri possunt corpora, iuxta se mutuo ponenda diximus; vt qua ratione alterum alteri adhareat, mutuoq; se complectantur; intelligeretur. Multi enim ex Plotino, corporum substantias totas totis commisceri, ac penitus sese penetrare, affirmare non dubitarunt. Quam in mentem eos impulit, quod sudores ex corporibus absq; vlla illorum sectione aut perfossione manare, lanam verò aqua perfusam, totam permeare viderent, & aquæ materiam in lanæ substantiam permistam ac fusam, non quibusdam inanibus spatijs conclusam putarent.

VI.

Verum quàm longè à vero absint, nemo non videt. Nam dum rariora corpora permeant, humore, eam quæ solidior est, substantiam permeante, manifestum est maiorem toti molem accedere. Quin & lana madefacta, occupat locum ampliorem, ac proinde necesse est aliam alio situ collocari materiam. Et si in quibusdam moles euadere amplior non cernitur (vti liquore perfusis cineribus aut cuticula sudante) necesse est angustas vias & poros (quos vocant) latere, in quibus aer aut spiritus tenuior, qui continetur aduenienti corpori cedens, ingressum præbet.

VII.

Sed horum sententiam missam facientes, asserimus elementorum substantias in mistione totas totis non inferi atque permisceri, sed duntaxat iuxta se mutuo poni. Neq; ob id Peripatheticæ Philosophiæ principi Aristoteli repugnare volumus, qui oēs misti partes mistas esse contendit. Id enim vt verum sit, illiq; rem ita se habere concedamus, satis est qualitates ita misceri atque confundi, vt per totius compositi molem, æquabiliter aut certa quadam ratione fusæ censeantur.

VIII.

Duplici verò modo, quæ misceri debent corpora, iuxta se mutuo poni collocariq; possunt: vno quo corpora, quæ in mistionem veniunt, non modo secundum materiam, verum etiam secundum formas substantiales coniunguntur. Altero quo coniunguntur corpora secundum materiam & secundum proprias virtutes, siue virtus illa forma sit substantialis, siue accidentalis. Vterq; vsu sermonis in scholis recepto obtinuit, vt iuxta positio corporum dicatur.

IX. Cùm

IX.

Cum tamen in vna aliqua propria ratione substantiæ mixtionis omnibus conueniendum sit, & nihilominus controuersia esse possit, Num corpora quæ mixtionem ingrediuntur, atque adeo iuxta se mutuo ponuntur, secundum formam suam substantialem maneat; iuxta positionis nomen (neque enim deinceps hanc vocem, vt diximus, vsu receptam refugiemus) in definitione tradita, posteriori modo accipiendum est.

X.

Diuisio quoque ad mixtionem necessaria est, corporum videlicet quæ miscentur. Non quasi illa ad huius rationem plane pertineat, sed conditionis necessariæ instar tantum requiritur. Fit autem illa diuisio corporum, quæ misceri debent, non in minimas magnitudines, vt quidam arbitratur (siquidem nisi extrinsecus aliquid obstat, elementorum natura quamlibet exigua mole contineri potest) sed in maiores ac minores partes. Quod ideo accidit, quia subiecta corpora miscibilia, quantitatem aut virtutem difformem habent.

XI.

Quo verò pacto hæc corporum partitio fiat, non est consentiēs omnium sententia, dum aliqui virtuti cælesti hunc effectum ascribunt; alij qualitatibus agentibus corporum quæ miscenda sunt; alij denique alias comminiscuntur causas. Nos motum illum quo elementa à se mutuo se iuncta conueniunt, ad eiusmodi diuisionem efficiendam, plurimum conferre existimamus.

XII.

Cæterum tametsi in partes tributa sint corpora, sibi quæque mutuo iuxta posita, nullum tamen continuum aut mixtum corpus ex illis exurgere aptum est, si alteratione mutuaque in inuicem actione vacent. Namque necesse est vt partes singulæ, singulis partibus, suas proprias qualitates & virtutes communicent, contrarias verò remittant, quantum videlicet mixti ratio vel partium eiusdem conditio admittit.

XIII.

Ex hac positione tria colligenda sunt. Primum, Alterationem magis ad naturam mixtionis pertinere, quam iuxta positionem. Nam cum iuxta positio corporum esse censeatur, siue corpora formaliter, secundum materiam videlicet & formam: siue secundum ma-
teriam

teriam tantum & virtutes proprias conueniant: Et harum altera ad mistionem sufficere possit, absq; alteratione verò propriè dictâ, quæ per qualitates contrarias esse solet, mistio non consistat: hanc ad mistionis naturam potius quam illam spectare cõsentaneum est.

XIII.

Secundo colligitur virtutes corporum, quæ ipsis ex specifica natura debentur, sic alterari, vt aliquo modo in misto perseuerent. Sunt enim dispositiones quædam ad misti formam in materia elementorum recipiendam & conseruandam necessaria, sine quibus nec introduci, nec introducta consistere potest.

XV.

Quare nobis eorum non placet opinio, qui cum formis corporum quæ miscentur substantialibus, hæc accidentales simul interire & cum forma substantiali misti, alias quatuor, numero diuersas produci existimant, vel (vti Scotus & Auicenna) vnicâ quidem qualitatem nouam, sed virtute, quatuor prioribus nõ inferiorem. Hoc enim & veræ Philosophiæ, & rationi sensuiq; repugnat, vt patebit cum ad mistorum complexionem pertigerimus.

XVI.

Tertio ac postremo qualitates elementorum in gradu perfectissimo nequaquã remanere, sed per mutuam actionem retundiac remitti debent, & ita quidem ad inuicẽ temperari, vt vna vel plures, ceteras sine ratione non excedant: alioquin vnum corpus, potius alterum in suam naturam conuerteret, quam vt tertium ab his distinctum generaretur. Cuius enim corporis qualitas vigore suo cæteris antecelleret, solum, illis intereuntibus, reliquum esset.

XVII.

Quando tamen dicimus qualitates inter se contemperari, ac disponere materiam ad formam misti recipiendam, id intelligi volumus non de vnaquaque qualitate diuissim accepta, sed de omnibus collectiuè sumptis. Nam vna qualitas per se sumpta, ad effectum eiusmodi proferendum, sufficere nequit.

XVIII.

Deniq; vt integra & perfecta sit mistionis ratio, necessarium esse duximus eorum quæ miscenda sunt corporum, alterationem esse quandam ad formam substantialem introducendam dispositionem: quia licet in materiam medicinæ compositæ, plura corpora specie diuersa conueniant, eademq; iuxta se mutuo posita sese diuidant, & couisq;

eouſque ſuis virtutibus ſeſe retundant, donec tandem vna quædam virtus, huic aut illi morbo depellendo apta, efficiatur: nequaquam tamen eiufmodi vnionem, miſtionem proprie nuncupandam cenſemus. Siquidem in hac (miſtionem dico) forma quædam ſubſtantialis de integro exſurgit, ab iſtis miſcibilibus diuerſa, cum qua ſimul & materia, totum quoddam in genere ſubſtantiaẽ producitur. At vero in medicina poſt coagmentationem corporum, vel nulla forma re diuerſa ab iſtis vnitis, vel certè accidentalis tantum & fortuita exiſtit. Idcirco non ens per ſe ſubſtantiale, ſed ſecundum accidens, quod in nullo eſt prædicamento conſtituitur.

XIX.

Eadem de cauſa Alchimicorum & coquorum artiſicioſe corporum ſpecie diuerſorum coniunctiones, vera miſtionis ratione non continentur. Nam ex commiſtione corporum perfectorum, quibus illi vti videntur, nulla ſubſtantialis forma de nouo conſequitur, ſed accidentaria tantum, ac proinde miſtum accidentale.

XX.

Ex ijs igitur quæ dicta ſunt, ſatis perſpicuum eſſe arbitramur, miſtionem eorum corporum quæ miſceri debent, eſſe iuxta poſitionem, diuiſionem, & alterationem ad formam ſubſtantialem diſpoſitiuam. Ex quo ſimul & illud intelligere cuius licet, non vnum ſimplicem motum, ſed plures in miſtione contineri ſpecie diuerſos. Siquidem termini ad quos fiunt, genere diſtinguuntur. Diuiſio namq; corporum, eorundemq; iuxta poſitio, ad locum: Alteratio verò ad qualitatem ordinatur.

XXI.

Nominalium quidam addunt miſtionem præter motus dictos, eſſe generationeẽ eius quod exſurgit miſti, & corruptionem corporum quæ miſcentur. Verum definitioni Ariſtotelis ante propoſitaẽ conſentaneum magis eſt, miſtionem eſſe diſpoſitionem tantum ad generationem, Item corruptionem (ſi aliqua contingit) concomitari tantum miſtionem, & minime in eſſentia miſtionis comprehendẽ.

XXII.

Quod ſi igitur ea vera eſt, quam diximus, miſtionis natura & ratio, manifeſtum ſit quonam in ſubiecto ſit miſtio. Si enim neq; generatio eſt, neque corruptio, ſed ad illa quædam diſpoſitio: non in

B

materia

materia sola, non in formā, sed in totis ipsis compositis inhæreat
necesse est, non quidem in mistis, quæ per misionem fiunt, sed in ijs
quæ misceri propriè dicuntur, quæq; ad finem vsque misionis per-
seuerant.

XXIII.

Vtrum verò post misionem perfectam, in misto, corpora misci-
bilia permaneant? Et si permaneant: Num secundum materiam tā-
tum, An secundum formā, aut potius integra secundum vtramq; sub-
stantiæ partem? non omnes consentiunt. In primis elementa in
mistis permanere, & quidem actu secundum materiam, probatione
non indiget, cum nullis in controuersiam vocetur.

XXIII.

De formis igitur nobis tota disputatio futura est, vtrum videlicet
illa in mistis, vna cum mistorum formis persistant? Hoc Auicenna,
Auerroës, Arabes, deniq; ceteri penè omnes, quos ex Neotericis non
pauci sequuntur, nō modo ipsius Aristotelis scriptis, sed & rationi-
bus propè innumeris, pugnacissimè defendunt. Et Auicenna quidē
integras atq; perfectas Auerroës verò (& quibus eius dogmata pro-
bata fuere) imperfectas atque remissas, vti ipsas accidentium formas
manere docuerunt.

XXV.

Præter has quatuor elementorum formas, quintam ipsius misti
propriam ex potentia materiæ, virtute qualitatū primarum edu-
ctam, adijciunt, à qua mistum denominatur, & in certo rerū ordine
ac genere constituitur. Nam ipsa quatuor elementa, etiā formaliter
sumpta, alterius partis tantū (materiam dico) vices subire dicuntur.

XXVI.

Sed pace tantorum virorum dicam, non potest hæc sententia nec
firma satis ratione doceri, nec vero Peripateticæ Philosophiæ testi-
monio euinci, & cōmuni medicorū, Philosophorū, ac Theologorū
opinionem repugnat. Quin Aristoteles contra Empedoclem disputas,
qui elemēta censebat in misto comprehendī, non secus quam in mu-
ro lateres, satis apertè hanc illorum sententiam infirmavit. Inquit
enim qualitates elementorum, reperiri in substantia dupliciter, vel
remissas, vel integras. si integræ, inquit, elementū illud ad quod per-
tinent, actu est. sin remissæ, elementū non est actu, sed medio quo-
dam

dam modo interactum & potentiam. Id quod nos interpretamur virtute.

XXVII.

Deinde quot absurdis inuolui necesse est, qui hanc sententiam commenti sunt, quis non videt? Certè necesse est, si formaliter elementa in mistis comprehensa tenerentur, concedant vnam & eandem numero naturam misti informare posse quatuor distincta numero in eis etia supposita, quorum vnum ab altero nequaquam dependet: vel contra quatuor naturas inter se diuersissimas, ab inuicem indepèdentes, vnicum informare suppositum, quorum vtrumque; haud parum est alienum à sacrosancto mysterio naturæ humanæ, in Christo assumptæ.

XXVIII.

Nec intelligas elementa virtute remanere, quo modo Fernelius (vir cetero quin doctissimus) is enim formas in mistis perfectas quidem, non tamen vt Auicenna, confusas & totas in totis, sed exiguas elementorum partes sibi mutuo coniunctas, formis proprijs tantum præditas, ipsidemque; integris subsistere opinatur. Verum cum liberè suique; iuris non sint, sed implicite & quasi intercepte mutua qualitatum pugna, atque dignioris formæ misti præsentia, ita vt pristinas vires exercere non possint: solum potestate vel virtute mistis inesse, sibi cæterisque; persuadet.

XXIX.

Verum idcirco elementa virtute in mistis continentur (quemadmodum sanioris iudicij Philosophi, D. Thomas, Scotus, Gregorius, Herueus, Marsilius, Albertus Saxo, alijque; quam plurimi sentiunt) quia videlicet ipsorum elementorum materia qualitatesque; seu virtutes accidentales in mistis insunt, eosdemque; in ipsis effectus, & multo præstantiores quam ante mistionem exercent.

XXX.

Nec in absurdis habemus, si mistionem cum simplici rerum transmutatione in hoc conuenire asseramus, quod videlicet in hac, quemadmodum vbi recens aliqua forma in subiectam materiam commigrat, pellitur vetus atque; decedit: ita cum in compositionem elementa concurrunt, illorum formæ euanescent, nec mistum formaliter vnquam inhabitant.

XXXI.

Quod autem locis compluribus elementū definiens Aristoteles, solet inculcare illud esse, quod cuiq; composito primum inest, & in quod vltimum corpora diuiduntur: Quod denique alias ex carne, alias ex ligno, ignem & terram segregari dicit, hæc vt vera sunt, non ideo elementa non occidisse formaliter necesse est, cum illorum materia vna cum qualitatibus naturalibus solum in mistis remanētibus, nihilominus elementa mistis inesse, ab illisq; seiungi segregariq; posse fateamur.

XXXII.

Quo pacto elementa substantialiter misto contineantur, hæcenus: nunc de numero quo mistum absoluunt, differendum. Et primò quidem: Vtrum ex omnibus elemētis concretio fieri possit? Secundò, quænam mista ex omnib⁹ constant, quæ vero non? Tertiò, Vtrum ex vno supposito elemento? Quartò, An duobus? Quintò, An ex tribus? Sextò, an ex quatuor etiam coniunctis, necesse sit semper mistum effici?

XXXIII.

Primæ quæstioni vno paradoxo, vt frequenter alias, respondet Cardanus, aquam quidem & terram, quæ sunt elementa densiora, mistioni mistisq; sufficere, imo necessaria esse: aërem verò & ignē, mistionem ingredi nullatenus posse. Est enim (inquit) aër tenuior, quam vt comprehendatur: Ignis verò, cum actiuitate fit præcipuus, omnia combureret, ac in suam naturam conuerteret.

XXXIII.

Verum rationes hæ non tam refutandæ, quam eludendæ potius videntur: quippe cū, ex ijs quæ paulo antè diximus, costare debeat, misceri corpora inter se, aliud non esse, quam eorum qualitatibus, quas sibi ex sua specie vendicant, materiam ad formam misti disponi: Deinde cum dispositio huiusmodi perfecta esse nequeat, nisi qualitates alteratione ab inuicem patiantur, necessarium est, si terræ & aquæ frigus adsunt, calorem quoque, qui tantum igni vel aëri competit, in quem agant, & à quo repatiantur adesse.

XXXV.

Et quidem ignis qualitatem cum materia in mistis esse, non modo docet resolutio mistorum, ea præsertim, quæ actione ignis fit,
aut:

aut alterius elementi simplicis, sed & rerum plurimarum effectus perspicue produnt: videlicet Euphorbij, Anacardi, Laureolæ & id genus aliorum. Quin & in ipsis animantibus, maxime ipsius ignis virtus cernitur, cum videlicet actiones vitales exercent. Quamobrem multi ex sapientibus, eorum quæ animalia constituunt elementorum, ignem maxime vitæ causam dixerunt.

XXXVI.

Plato autem in Timæo, & Aristoteles cum in 2. de animo, tum alijs plerisque in locis, naturam ad cibi concoctionem, ad sanguinis generationem & distributionem, ad augmentum deniq; efficiendum, ignis adminiculo potissimum vti testantur. Et hic quidem instrumenti: ille verò principalis ac primæ causæ vim in dictis effectis (vti Galenus de Hippocratis & Platonis decretis testis est) igni tribuebat. Et de prima quæstione hæc sufficiant.

XXXVII.

Ad alteram verò sint ne omnia mista ex quatuor elementis concreta? facilis est responsio. Sunt enim quædam quæ ex imperfecta elementorum compositione cõflata sunt, cuiusmodi videntur esse, quæ supra terram in sublimi gignuntur, ac idcirco mista imperfecta appellantur. Alia verò mista sunt perfecta, quia videlicet elementis omnibus constant: cuiusmodi sunt fere omnia quæ circa terram consistunt.

XXXVIII.

Sequitur tertia. Vtrum ex vno solo elemento principio supposito, mistum aliquod perfectum fieri possit? Ad quam dubitationem dissoluendam, præponenda est distinctio. Duæ enim his verbis quæstiones non parum inter se diuersæ comprehenduntur. Prior est: An ex vno elemento possit actione vel vnus, vel plurium agētium naturalium, efformari mistum, ita vt materia illius elementi suppositi, non suscipiat interim formas elementorum aliorum? Quod in scholis dici solet: Vtrum ex vno elemento solo, possit immediate, immediatione substantiæ cæterorum elementorum mistum fieri?

XXXIX.

Altera quæstio Philosophis magis accommodata, An ex vno elementum

lemento posita actione agentis naturalis vel vnius, vel plurium tandem produci mistum, siue id fiat intercedentibus formis aliorum elementorum, siue nihil huiusmodi accidat?

XL.

Vtrique quaestioni propositae, negatè respondent quidam. Non enim existimant fieri posse, vt in eandem materiam elementi suppositi, reliquorum elementorum formae substantiales, vel propria ipsorum accidentia conueniant, quia videlicet inter se nimium repugnant.

XLI.

Sed & ex ipsa Mistionis definitione quam tradit Aristoteles, idè alij colligunt. Non enim, inquit, vnio miscendorum alteratorum esse potest, vbi plura vno elementa non cernuntur: sed attendat hi, quod paulo antè diximus, Miscibilia vel secundum substantias aliquando ad mistionem concurrere, aliquando verò secundum virtutes duntaxat proprias.

LXII.

Nostra itaque sententia est, & quidem iuxta priorem quaestionis sensum, difficulter quidè & rarè accidere posse, vt vnum elementum transeat in mistum. Cuius ratio haec potissima esse videtur, quia videlicet dispositiones & qualitates aliorum elementorum, cum plane diuersae sint, à diuersis quoq; vel formaliter, vel virtute saltem agentibus, in materiam eandem induci debent: Iam verò difficile est admodum eiusmodi agentia tam diuersa, vel simul, vel successiue conuenire.

XLIII.

Secundo dicimus videri nullam fore repugnantiam, si ex vno elemento mistum fieri dicamus. Habet enim Sol omnium elementorum virtutem, neq; semper aliarum causarum concursu indiget. Deinde non repugnat ex parte materiae: est enim illa indifferens ad omnes formas tam accidentales quàm substantiales: nec ipsis qualitatibus, quibus elementum suppositum est affectum. possunt enim cum aduersis qualitatibus remissis, esse simul in eadem materia. Quare si, quemadmodum dictum est, ex vno elemento, nulla interposita alterius elementi forma, fieri potest mistum, necesse est ad alteram

teram quoque quaestionem responderi affirmatè, cum ad hanc satis
esset ex elemento mistum fieri, siue forma alia elementi interueniē-
te, siue nulla intercedente.

XLIII.

Cæterum si quaeratur utrū ex vno duntaxat elemento, per actio-
nem eius propriam, mistū generari possit? Respondebimus id fieri
non posse. Nam tum demum mistum producitur, cum ea quæ mis-
centur occidunt: At vt idem sui interitus causa sit, quī fieri potest?

XLV.

De mistis quatenus ex vno elemento coagmentari possunt vel
non possunt hæctenus: quarta nunc sequitur quaestio. Num ex duo-
bus quibuscunq; elementis mista conflare possint? Ad quam dubita-
tionem dissoluendam, hoc præmittendum videtur: Elementa duo,
vel præcisè, absque concursu causæ alicuius principalis, considerari:
vel simul cum causa agente extrinseca materiam eorum disponen-
te: Hoc posito respondemus ex elementis duobus, siue symbolis, si-
ue a symbolis altero illo modo spectatis, id est, cum alicuius causæ
externæ materiam disponentis concursu, haud aliter quam ex vno
elemento, mistum effici posse.

XLVI.

Si verò causa efficiens, materiam vltra duorum elementorum
virtutem disponens desideretur, tunc ex duobus elementis, mistum
simpliciter fieri nequit. Et quidem in ijs quæ nullam qualitatis cō-
munionē habent, patet. Siue enim alterum ab altero vtraq; in quali-
tate vincatur, siue in vna tantum, & in altera vincat: siue in vna qui-
dem superetur, in neutra verò dominium habeat: siue neutrum al-
teram qualitatum in altero expugnet, nullo vnquam tempore mi-
stum euadet, sed vel alterum in alterum transibit, vel ambo in ter-
tium elementum, vel denique integris remanentibus, mistum non
constituent.

XLVII.

Cur verò ex elementis duobus quæ symbola dicuntur, vnum
mistum fieri nequeat, rationem hanc Marsilius & Albertus Saxo
assignant. Quia videlicet qualitas illa communis, cum aduersam, à
qua:

qua retundatur nullam habeat, integra & non refracta in mistum coëat necesse est. Quod tamen misti formæ plurimum aduersatur, quæ ad sui productionē, & in materia conseruationem, non ita perfectas (vt elementa) sed remissas ac refractas qualitates requirit.

XLVIII.

Ex tribus porrò elementis, probabile est mistum quoque effici non posse, nisi concurrat extrinseca causa efficiens. Duo enim ex tribus elementis, necessario in vna qualitatibus earum, quæ agendi vim habent, consentient, atque sic multo erunt efficaciora ad tertium elementum corrumpendum, & in sui naturam transmutandum

XLIX.

Albertus aliam rationem assignat. Si enim, inquit, tria duntaxat, elementa concurrant, illorum duo symbola necesse est esse, & duo a symbola, planeq; diuersa: Cum igitur eorum quæ symbola sunt, vnum in se transmutarit aliud, quæ supererunt, a symbola profus erunt, ex quibus non mistum, sed tertium elementum existet. Verum hæc ratio, non videtur vndequaq; satis firma: Sint enim terra, aqua, & aër, tria elementa, ex quibus aqua in se transmutet aërem, quæ reliqua sunt duo elementa, planum est habere eandem communem qualitatem.

L.

Quatuor elementorum actio, cum ad vnum locum conueniunt, absq; vllius efficientis causæ externæ adiumento, sola per se, misti formam ex materiæ potentia educere potest. Quod cum accidit, nõ est arbitrandum elementa quatuor, misti naturales esse causas agentes, sed potius accidentales & fortuitas: quippe quæ nõ mistum per suas actiones producere intendunt, sed vnumquodq; reliqua in sui naturam conuertere: quo effectum dum destituuntur, omnia in tertium quoddam, natura plane diuersum, mistum videlicet, discedunt.

LI.

Quoniam supra diximus, mista perfecta quatuor elementis constare, vel certè eorundem virtutibus, dubitabit quispiam quid causæ sit, cur in iisdem mistis, terræ moles, quam cæterorum elementorum, maior existat? Cui commodè responderi posse hoc pacto videtur,

Id

Id videlicet à natura proinde ita factum esse, primo quidem, vt terra (cui exigua vis agendi insita est) cum igne (qui agendo plurimum potest) proportio quædam constitueretur. Secundo propterea terræ moles in mistis maior est, vt in loco naturis suis maximè idoneo (cuiusmodi qui circa terram, propter radiorum reflexionem temperiemq; maiorem esse debet) permaneant: aut si violentia quadam, alio quodam loco teneantur, ad natium ac naturalem reuertatur. Atq; de mistione generatim hæctenus, nunc de complexione aliquid dicendum videtur.

DE COMPLEXIONE.

LII.



COMPLEXIO quædam est substantialis, Symmetria scilicet & proportio quatuor primorum corporum in misto: quædam accidentalis, quæ ex permistione, intensione, inquam, & remissione primarum qualitatum ad certum aliquem gradum existit. Hæc magis quam illa nobis perspecta est, quod per accidentia, substantiæ nobis innotescant; proinde illa prætermissa, de accidentali tantum nobis sermo futurus est.

LIII.

Hanc vero in qualitatibus spectatam complexionem. licet omnes ex primis quatuor qualitatibus coalescere concedant, quidam tamen eam nouam qualitatem ex illis ortam; formamq; misti consequentem esse: Alij verò ipsasmet qualitates quatuor refractas complexionem esse, mistiq; formam in materia præcedere asserunt.

LIIII.

Quam posteriorem sententiam nos, vt magis probabilem amplectimur. Non enim fieri potest; vt qualitates omnes per actionem euanescant.

nescant, vti supra Thesi 13. 14. 15. diximus. Tum etiam quia si vnica qualitas, aliarum quatuor loco substitueretur, nulla tãdem in genito corpore contrariorum repugnantia, nulla temperamenti per singulas a tates conuersio, nulla denique eidem causa erit insita morbi, nulla senij, nulla interitus. Ad extremum dum corpus occidet, nunquam poterunt elemēta in rerum vniuersitatem suis instructa qualitibus (sunt enim corruptæ) recurrere.

L V.

In hac ergo disputatione de complexione, hunc ordinem tenebo. vt primo complexionis naturam & causas omnes explanem. Deinde vero de speciebus ac differentijs eiusdem, generatim differam.

L V I.

Potest autem complexio hac vna definitione, ex forma videlicet sumpta, explicari: vt sit proportio & concentus quatuor principũ qualitatum, secundum quem, moderata quadam ac concordia mediocritate, sese mutuo complectantur.

L V I I.

Finis autem eius est, vt ea media, forma misti & producat & conseruetur in materia, & instrumenti loco, operationes eiusdem iuuet: Quarum cum aliæ in alteratione consistant, aliæ ab alteratione naturam alienam habeant, in quibus administram præbet operam, & velut principium immediatum est complexio, alterationes esse oportet.

L V I I I.

Materia porrò complexionis ex qua componitur, duplex est, altera remota, propinqua altera. Remota sunt quatuor elementa, propinqua qualitates ex quibus ipsa complexio proxime componitur. Materia verò in qua sustentatur complexio, elementorum est materia, non tota composita: Quod propterea adiicimus, ne quis existimet elementa vel formaliter in mistis remanere (cuius antea contrarium posuimus, vel elementorum, qualitates per misionem.

tionem & pugnam occidisse, cum in mistis ex nostra sententia perseuerent.

LIX.

Efficiens porro vel principalis est, vel instrumentaria. Illa duplex est, vniuersalis, vt Sol: particularis, vt viuens à quo semen descitum est, & ea quæ particularis agentis vices gerit; hæc enim omnia effectum omni ex parte producunt, vel certè prima præcipuaq; productionis principia sunt.

LX.

Instrumentalis verò est virtus quædam seu qualitas principali agenti, ad illum quem sibi propositum habet effectum producendum, necessaria. Hæc primò diuiditur in externam ipsi patienti, quæ videlicet in sola causa principali agente inest: & internam eidem, cum videlicet materia, ab agente disposita est, ac determinata ad effectum intentum producendum, cuius generis semen in viuentibus est. alioqui materia nondum determinata, huiusmodi qualitatem eidem inesse non est necesse, quandoquidem ex materia nondum disposita, diuersi effectus, ad quos indifferens est, produci possunt, vt ex aqua putri buphones, pisciculi, ranæ, & id genus alia.

LXI.

Secundo diuiditur instrumentalis in eam quæ inter instrumenta præcipuum locum tenet, facultatem nimirum accidentalem, qua præcipuè vtitur id quod agit, & ad quam cæteræ quæ ad eundem effectum concurrunt qualitates omnes accommodantur, vt aliud nihil producant, quam quod principalis illius facultatis determinationi consentaneum est: & in minus præcipuam, quæ nimirum à priori illa maxime determinatur. Huius exemplum in sole cerni potest, in quo præter vim calefaciendi, alia quædam occultata latet, propter quam (ex eadem alioqui materia) situ solum vel loco mutata, aliud atq; aliud effectum producitur.

LXII.

Porro de causa efficiente complexionis, quæ primum inter instrumenta locum tenet addubitare quispiam non iniuria potest. Sitnè vna & eadem in omnibus mistis, an verò in diuersis alia atq; alia quædam qualitas distincta? Ad hanc dubitationem cõmodè respondetur, posita prius distinctione rerum, quæ complexionis sunt participes in eas, quæ vitam habent, & eas, quæ sunt eiusdè expertes.

LXIII.

In viuentibus enim omnibus vna duntaxat est præcipua causa instrumentalis eorundem complexionis, videlicet calor, cuius virtute tanquam principe, semina omnia non modò producantur, sed etiam maturescunt & concoquuntur. Quod ipsum etiam qualitates eæ, quæ complexionem consequuntur (cum ab alia qualitate proficisci non possint) satis manifestè demonstrant.

LXIII.

Nec quicquam huic nostræ assertioni officere potest, quod aliqua viuentia vim ad refrigerandum maximam habere videantur; vt lactuca, mandragora, papauer, & aliæ quædã plantarum species. Huiusmodi enim facultatem refrigerandi, ab ipsa complexionem profectam non existimamus, sed potius ex commistione halitus frigidi, vi solis ex terræ visceribus sursum elati, vnà cum materia seu terra ipsa, ante misti formæ introductionem, & complexionis eius, quoad principales partes, constitutionem, procreatam.

LXV.

Quare non minus verè, quàm eruditè Albertus Saxo, & medicorum quidam vni & eidem rei frigefaciendi facultatem attribuunt, cuius tamen complexio atque temperamentum calore potissimum abundat. Quod vt fateamur, faciunt effectus diuersi, quorum alij frigoris virtute tantum, alij verò actione caloris in mistis emanant.

LXVI.

Sequuntur res inanimes; quarum complexionis non solus calor, sed

sed & aliæ quædam qualitates constituunt. Permultæ enim mineralium, lapidum inquam, & metallorum species, talis temperamenti esse videntur, vt non tam à calore, quàm frigoris vi potius elaboratum esse nobis meritò persuadeamus. Nam ex ijs accidentibus, quæ, vt vmbra corpus, complexionem naturaliter consequuntur, cuiusmodi sunt frigus, densitas, &c. ijs afficiuntur, easq; sortiuntur operationes, quæ nullatenus calori ascribi posse videantur.

LXVII.

Atq; hæc est alia ratio, quæ Chemicos maximè vrget, vt, velint non sint, fateri cogantur, metallum vnum in alterum transmutari, aut ex argento viuo & sulphure aurum fieri non posse. Si enim metalla natura atque specie diuersa sunt, quod pleriq; illorum sponte concedunt, quomodo temperamenta, complexionesq; illorum, & ipsæ diuersa, vi caloris & ignis (quo suis in transmutationibus semper vtuntur) constituentur, cum ab igne potius dissoluantur & corrumpantur, à frigore verò, vt paulò antè diximus, efficiantur? Sed redeamus vnde digressi sumus.

LXVIII.

Aliæ quædam nobis quidem minus manifestæ, sed tamen necessariò sunt constituendæ qualitates, propter quosdam effectus, qui cum insoliti sint atque admiratione digni: neque calori, neque frigori attribui possunt. Quis enim calori aut frigori hoc ascribat, quòd Magnes modò ferrum ad se pertrahat, nunc illud ipsum longius à se repellat? quòd coraliù sanguinem sistat? quòd idem præstet lapis ille, quem Osorius in ea, quam scripsit de rebus Emanuelis auspicijs gestis, historia refert, ex principis cuiusdam concisi & iam plane trucidati collo suspensum tam diu sanguinis fluxum repressisse, quoad remoueretur? an verò caloris, an frigoris vi accidit, quòd piscis quem Echinem aut remoram dicunt, vnus alioqui pedis magnitudine, ingentes naues, ventis celerrimè impulsas remoretur? Equidem cum neque hæc ipsa, neque alia per multa, quæ partim Cardanus lib. de mirabilibus & lapidibus, partim alij passim referunt, vlla caloris, aut frigoris efficacitate confici posse, mihi persuadeam, in eam sententiam planè adducor, vt certò existimem, aliam aliquam subesse qualitatem in his rebus admistram.

LXIX.

Nec est quod eiusmodi effectus, complexionem illarum rerum antecedere quis dicat, quasi ipsi ex commistione potius halituum cum materia ante formæ misti introductionem, ortum habuerint quemadmodum haud ita multò antè asserebamus de ea, quæ plantis quibusdam inesse cernitur, frigefaciendi facultate. Nam cum halitus vel frigidus sit natura, vel ab externo agente, & præter naturam calidus: necessariò fatendum esset, vel à frigore, vel certè calore profectos esse, cum tamen inter eos effectus, qui ordinariè illis causis agentibus attribui solent, vel non contineantur omninò, vel longè ipsis sint præstantiores. De causis complexionis generatim, satis differentiarum restant explicandæ.

LXX.

Quoniam autem de causis complexionis in genere satis diximus, nunc varias illius species; & qua ratione singulæ inter se differunt, explicabimus. Sunt enim pro ratione earum, quæ in communionem & societatem conueniunt qualitatum, inter se diuersæ: neque tamen ex ijs, quæ quibusque insunt elementorum portionibus, facile à quolibet internosci possunt, cum difficilè sit cognoscere, quanta cuiusque elementi portio, singulis concretis mistisue insit.

LXXI.

Proinde si quid certi haberi potest, id sensuum beneficio, per quos notiones rerum in animis imprimuntur, comparandum. Neque tamen omnium, sed tactus potissimum, cui proprium est calidum & frigidum, humidum & siccum internoscere. Nec cuiusvis animantis tangandi uis temperamentorum discretionem perspiciere apta est, sed hominis potissimum, cuius temperamenti mediocritas multò maior est, quàm in cæteris uiuentibus, ac proinde plures sensibilibus differentias percipit.

LXXII.

Est enim humana species inter omnes animantes media, ex partibus quodammodo constans portionibus, terræ, aquæ, aëris, & ignis: si modò

fi modò aëris, ignisq; appellatione non solum ea, quæ verè sunt elementa, sed etiam genuinus spiritus, & æthereus ille noster calor cõprehenditur, quo modo à præclaris tum philosophis, tum medicis fieri animaduertimus, dum censent animam à corpore seiungi non posse, quin simul naturali sua temperie corpus deseratur.

LXXIII.

Porro cum tactum humanum complexionum, iudicem statuimus, non simpliciter id accipiendum est, quasi rerum omnium temperamenta discernere possit. Nam interiora omnia animalis, non modo cordi viciniore, sed quæ magis disita sunt, vt cerebrum, ossa, pituita, &c. tametsi temperiem singula calidam adeptæ non sint, tãgenti tamen calida sentiuntur, externo videlicet calore perfusa. Vnde fit, vt tactus de partium interiorum temperamento (quippe cui sincerum illud & purum non occurrit) certi nihil sentire possit. Iudex tamen bonus is esse forsân poterit vna cum ratione, quæ substantiam earundem partium, atque structuram explorabit.

LXXIII.

Solus tamen tactus sufficiens est de totius integriq; corporis temperamento cum reliquorum animantium, tum hominis ex æquo & bono iudicium facere, & certi quippiam per cutis contactum pronunciare; est enim cutis ob communem partium interiorum confluxum ad extima potissimum, ea moderatione prædita, vt eo fit temperamento, quo & vniversum corpus. Si quidem ab his, quæ extrinsecus imminet, causis, aduentitiam illa nullam constitutionem acceperit.

LXXV.

Ex cutis ergo contactu qualitates quatuor, quæ in vnum coierunt vel æquales sensui, vel inæquales esse iudicantur. A Equales, quarum vna scilicet sensu non depræhenditur magis intensa quàm altera, constituunt complexionem æqualem ad pondus; si videlicet vera qualitates sint æquales: alioqui ad pondus inæquale. Ab hac complexionem, mistum ita paribus viribus concretum, μικτόν, id est benè & ad vnguem temperatum appellatur.

De

LXXVI.

De complexionē ad pondus æquali seu temperata, vtrum in rerū natura existat, anceps est inter Philosophos medicosque disputa- tio. Auicenna enim, Auerroës, & quicumque in Arabum familiam se tradi derunt, nullum ita verè, & quasi pondere temperatum haberi, aut in rerum naturæ ordinem admitti posse (tanquam sit repugnantia) contentiosè decertant. Si enim (inquiunt) ex paribus viribus mistum quippiam emergeret, nulla actio, nulla ad moderatio- nem repressio illarum occurſu obtingeret: quod in absurdis ponē- dum esse videtur.

LXXVII.

Hinc Auicennæ temperamentum seu complexio (qualitas nimi- rum quinta ex elementorum confusione recens nata) fieri nulla po- test, vsquequaq; & sine vlla exceptione media, sed eam necesse est in extremorum aliquod propendere.

LXXVIII.

In hanc sententiam authores hi vt descenderent, effecit, quod existimarent fore, vt corpus ita qualitatibus elementorum temperatum, quocunq; in loco collocetur, in eodem quiescat, ac motus omnis expers euadat. Non enim mouetur mista corpora nisi ad motum elementi prædominantis, cuiusmodi in corpore temperatissimo, nullum reperitur.

LXXIX.

Galenus cum oppositam sententiam amplectatur, illam duobus exemplis vtcunq; commodis, vt apparet, illustrat, confirmatq;. Altero duarum aquarum æquali magnitudine, alterius frigidissimæ, alterius calidissimæ. Altero cineris & aquæ, inter se similiter æqualiū magnitudine.

LXXX.

Possunt autem hæc duo exempla sic ad institutum accommo- ri. Vel corpora illa inter se commista ad æqualitatem, in quatuor primis qualitatibus adducuntur; vel non adducuntur, possunt tamē
reuoca-

reuocari? Quicquid asseratur, nõ repugnat rationi posse reperiri ali-
quot vel aliqua corpora naturalia, quæ simili constant qualitatum
temperatione. ac proinde non repugnat rationi, corpus aliquod re-
periri, equali complexione ad pondus constitutum.

LXXXI.

Hæc opinio patronum atque defensorem præcipuum habet Io-
hannem Fernelium, qui existimat non modò rationi non repugna-
re, sed & de factò qualitates primas equis portionibus mistas exqui-
sitam complexionem proferre. Et licet in illa æqualitate non tanta
sit qualitatum actio mutua, quæ vel abolitionem, vel repressio-
nem contrariorum moliatur; tanta tamen est, vt paria contraria possit
cõfundere, ac in vnam complexionem permiscere. Minus enim vi-
rium & inæqualitatis contrariorum temperatio desiderat, quam il-
lorum occasus, atque dissolutio.

LXXXII.

Arabum sententiã tamen si planè falsam non decernamus, aliorum
tamen vero magis consentaneam esse censemus. Quanquã à neutra
parte ratio afferri potest pro vna, quàm pro altera firmior. Tantum
hoc quod videtur habemus, non repugnare rationi, complexionẽ
æqualem ad pondus existere, quod etiam (si quid aliud) exempla
duo Galeni efficere videbantur.

LXXXIII.

Neque ratio illa Auerrois, quã corpus non motum iri contendit,
si æqualitate ad pondus præditum sit, quicquã nobis officit qui tã-
tum æqualitatem in ijs qualitibus admittimus, quæ ad alteratio-
nem conferunt, non etiam in ijs quæ motus sunt causa. Imò harum
æqualitatem, si quispiam statuatur, non necesse est, illud in cõmodum
incurrat. Nam si tale corpus mistum in sphaera ignis collocaretur, de-
orsum à tribus cæteris elementis cogeretur, nihil igne (vt pote in na-
turali loci constituto) reluctante. Similiter in aëre constitutum, deor-
sum traheretur, quemadmodum si in terra vel aqua situm esset, inde
sursum versus, sublatis impedimentis moueri, aptum permaneret.

LXXXIIII.

Si verò quæras, vtrum huiusmodi mistum corpus, re ipsa nunc in
rebus

rebus existat? Respondemus in omni misto elementum aliquod cæteris, agendi vim maiorem habere, vt patet ex accidentibus, & proprietatibus, quæ elementi naturam in misto consequuntur, cuiusmodi sunt raritas, densitas, opacitas, perspicuitas, fluxus, consistentia: ac proinde nunquam elementa secundum virtutes æqualia, vllius formæ complexionem constituere. deinde etiamsi hoc admittamus fieri posse, tamen corpus deprehendere, quod eadem illa constet æqualitate, vel difficile est, vel omninò fieri nequit.

LXXXV.

Porrò complexio quæ iuxta tactus iudicium, qualitibus partibusq; inæqualiter mistis constat, vel ad iustitiam æqualis est, ob quam, quasi iustitiæ ritu, temperatum mistum dicitur, vel inæqualis est. Illud ritu iustitiæ temperatum omninò est, quod generis sui decoram illam & consentaneam æquabilitatem est adeptum, qua tanquam numeris omnibus & partibus absolutum, salubriter, integrè & naturæ suæ congruenter se gerit, omnibusque munijs, ad quæ natura sua ducitur, incorruptè fungitur.

LXXXVI.

Intemperatum ad iustitiam dicitur, quod eam complexionem est assecutum, à qua plurimum impeditur, quo minus operationes naturæ suæ congruentes exercere, tametsi aliquanto tempore cum eadem complexione in rerum natura seipsum tueri & conseruare possit.

LXXXVII.

Temperies æqualis ad iustitiam, non est planè indiuisibilis, vt variatione quacunque per excessum vel defectum facta, statim colabatur: sed latitudinem quandam complectitur, quam nos aptè arbitramur circumscribi operatione, quatenus ea mistum certo quodam ordine perfungi potest.

LXXXVIII.

Conciliator illam tribus partibus siue statibus expleri existimat: Prima quidem optima est, sed non (vt inquit) in se variationem
nem

nem non admittit, neque instanti solum aliquo perstare potest, sed tempore aliquanto perseverare. Tametsi, quod semel ab ea deflexerit animal, restitui nunquam possit. Altera pars mediocritatis est. Tertia verò infima quidem est, sed cum qua vivens nihilominus suis operationibus, sine magna virium iactura, administrandis, idoneum permanet.

LXXXIX.

Non est autem temperies hæc in vnaquaq; specie eadem; sed alia, atque alia in animatorum, stirpium, & animantium. Et in animalibus ipsis, alia hominis, alia leonis, & c. nec quæcunque natura sua calida sunt, aut frigida, aut humida, aut sicca, vno & eodem sunt omnia ordine, aut paria mediocritate ponderis interuallo distant. Quod præclare Lucretius hoc poemate cecinisse visus est.

*Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse paria filo.*

XC.

Imò non modò complexiones specierum diuersarum inæquali interuallo, à perfecta mediocritate ponderis distant: sed cuiuslibet speciei complexionem, natura certo ac definito ambitu complexa intra illum alterius speciei mistum, haud quaquã admittit: cuius rei ratio hæc esse potest, quod entia specie diuersa, diuersas sibi determinant complexiones. Quod si concedere nolimus, fatèdum nobis erit, in vnam & eandem materiam, per actionem naturalem qualitatum complexionis communis, & concursum causarum vniuersalium duas formas substantiales, specie diuersas, induci posse.

XCI.

Et licet fieri interdum possit, vt vna & eadem complexio ex mixtione qualitatum orta, in indiuiduis specie diuersis reperiatur, nõ tamen eadem ratione, sed vni temperata erit, alteri vel vtriq; in temperata. Quod enim in vna specie iustè calidum est, alteri parum multumq; calidum esse potest.

XCII.

Cum itaq; iuxta formas specie diuersas, multiplices sint
D 2 specie

specie complexiones: illarum inter se distinctio penes illud fumen-
da est quod regulæ ac normæ præcipuæ vices gerit. Cuiusmodi nõ
iniuria censetur perfectissima illa qualitatum secundum pondus æ-
qualitas.

XCIII.

Nihilominus complexionum numerus (qui multiplex est in spe-
ciebus, prout videlicet cuiq; sua propria, ab alijs aliarum specierum
complexionibus distincta, competit) à quibusdam ad duas tantum
generales species: ab Auerroë & recentioribus, ad quatuor; à Gale-
no verò ac plerisq; medicis ad octo reuocatur. Ex quibus simplices
quatuor, totidemq; compositæ nominantur.

XCIII.

Nam cum in omni misto secundum iustitiam temperato, dispar
qualitatum copulatio semper reperiatur: necesse est omninò, aut v-
na reliquis tribus antecellat, aut summum duæ. Tres verò principa-
tum nunquam obtinere possunt, eò quòd necesse esset duarum op-
positionum, limitibus quatuor conclusarum, alterius vtramq; ex-
tremam dominari, quod multis antè à nobis disputatis repug-
nat.

XCIV.

Cum itaq; singulæ qualitates tantum à cæteris tribus dispares ex-
istant, quatuor diuersæ complexiones simplices oriuntur. Vna cali-
da, in qua calor frigori antecellit, humoris autem & siccitatis æqua-
litas est. Secunda frigida, in qua frigus dominium in cæteras tenet.
Humida cuius humor primas obtinet. Quarta deniq; sicca, vbi hu-
more siccitas potentior est, paribus ijs quæ in altera oppositione
sunt, contrarij.

XCVI.

Si verò duæ qualitates inter se coniugatæ reliquis præstant, qua-
tuor etiam compositæ complexionem procreantur. Tot enim sunt
qualitatum coniugationes, neq; plures in rerum natura coherere
possunt. Calida, inquam, & humida: calida & sicca: frigida & humi-
da: frigida denique & sicca.

Hasc.

XCVII.

Hasce temperatas complexiones ad iustitiam, tam simplices, quã coniunctas, si cum ea quę harum regula est, & quasi ponderis æqualitatem complectitur, coniungere voluerimus, nouem omninò complexionum genera, ex varia qualitatum primarum mistione producta censebuntur.

XCVIII.

Cæterum complexionem formæ specificæ conuenientem, variè singularia participant, cum non indiuidua sit, sed latitudinem habeat, intra cuius ambitum vniuersum, complexio temperata censeatur. Nihil tamen prohibet eandem qualitatum proportionē pluribus interdum eiusdem speciei indiuiduis secundum naturam, communem reperiri; maximè verò in hisce, quæ per omnia penè similia videntur. quod tamen rarius contingere sensu ipso experimur.

XCIX.

Distinguuntur autē omnes indiuiduæ complexiones iuxta temperatissimam eiusdem speciei complexionem à qua recedunt: non autem per comparisonem ad complexionem pondere æqualem, quia omnes indiuiduæ, quæ ad vnam speciem pertinent, ab æquali ponderis, eodem excessu teneri iudicantur.

C.

Ex ijs quæ diximus duæ quæstiones oriuntur. Altera, vtrum de facto in alicuius speciei indiuiduo, complexio temperatissima ad iustitiam reperiri possit? Altera, in qua potissimū specie? Ad priorem medici penè omnes vna animi consensione respondent, reperiri quidem, sub qua tamē mistum paruo tempore perseveret: quorum sententiam Aegidius, Albertus, Marsilius, cum alijs nonnullis philosophiæ principibus receperunt.

CI.

De specie verò (quod in altera quæstione quærebat) inter se discrepant, quænam videlicet in indiuiduis talem perfectã temperiem est assecuta? Homini enim propter nobiliorem & exactiorem

tangendi vim & facultatem illam tribuunt quidam. Alij non in homine tantum, sed in omni viuentium genere & specie reperiri cōtendunt.

CII.

Nos vt complexionem temperatissimam in indiuiduis reperiri posse admittamus. eam tamen non homini potius, quam alteri animanti attribuimus, sed in illo rariorem quàm in cæteris existimamus, quippe cuius forma & eiusdem operatione ita perfectæ sunt, vt complexio temperatissima ipsius, ab ea quæ ad pondus æqualis dicitur, & difficillimè dignoscitur, nullo penè interuallo separetur. Vnde non immeritò hanc in vilo hominum, præterquam in Christo domino. fuisse repertam nonnulli censuerunt.

CIII.

De temperata hominis complexione quia disputare cepimus, pauca quædam adiugemus. Ac primò quidem illud silentio prætereundum non est, quod licet eiusmodi temperies ab æqualitate qualitatum secundum pondus recedat, quia calor atque humiditas in illa reliquis proportione quadam superat, non tantus tamen caloris excessus, quantus in ijs, quæ intemperatæ sunt, complexionibus, reperitur.

CIIII.

Ex quo etiam hoc consequitur, vt cum in illa maior sit mediocritas, qua se æqualiter ad omnem cuiuscunque qualitatis excessum habere potest, tanto etiam facilius morborum causis accidentalibus, quæ non ex ætatis debilitate ac constitutione, sed extrinsecus homini accidunt, resistere possit, ab ijsq; minus afficiatur.

CV.

Non est tamen complexio hæc temperata in homine, vitâ per se diuturnior. Quod inde liquet, quia cum viuens naturaliter per putrefactionem vitam terminet: hæc autem tum fiat, cum calor humidus internus, paulatim ab externo circumstante seuocatur & consumitur: tantò facilius citiusque occidet homo, quantò imbecilliore

liore calore præditus erit. Quare quibus intemperies ob excessum maiorem caloris inest, in multos annos vitam perducunt, cæterisq; vitæ sunt diuturnioris.

CXVI.

Nec est arbitrandum toto vitæ decursu, temperamentum idem perseuerare. Nam vt multa nos assiduè circumstant incommoda, quorum vi, huc illuc traducimur, sic intus nobis ingenerata, & ab ortu tradita est causa, cuius necessitate temperamenta commutamus.

CVII.

Quanto enim ortui vicinior est animans omnis, tantò humidior est, ac tantò sensim longius progrediens in vitæ extremum declinat, tantò etiam magis siccitate contabescit. Hinc in primo vitæ ingressu caro præ humida & mucosa cernitur, nerui, vincula, imò & ossa tenera flexibiliaq; adeò vt facile sequantur quocunq; ducas. In extrema verò senectæ non modò ossa arida, & humoris expertia, sed & carnem neruosam ac duram sensu diiudicamus.

CVIII.

Quod de humiditatis in siccum progressionem ex omnium cum philosophorum tum medicorum sententia determinatum à nobis est; idem & de caloris in frigus mutatione dici potest. Animal enim statim vt in lucem editum est, ingenti calore affluit, qui sensim deficiens ac languescens in extremum, quod omnium frigidissimum est & morti simile, tendit.

CIX.

Ab humiditate tamen (vt Galeno placet) calor differt, quod ille continuo mutatur, hic verò ad medium vsque vitæ cursum immutabilis persistit. Quòd etiam experientia frequenti cognitum ac perspectum sibi esse dicit. Namque tactu pueros, iuuenes, adulescentes explorans, imò eundem infantem, puerum adulescentemq;

temque factum, hunc nihilo calidiorem, nec puerum quam ætate
florentem, nec ætate florentem quàm puerum, apprehendit.

CX.

Porro signa constitutionis hominis, tametsi multa eaque diuer-
sa à diuersis afferri soleant, maximè tamen ex respiratione, arteriarù
pulsu, lotio, & alijs quibusdam philosophi naturales cognoscere
consueuerunt. In aliarum verò rerum complexionis notitiam, de-
ducimur hiscè tribus potissimum, colore, odore, & sapore
quatenus sensum nostrum diuersimodè mutare nata
sunt. Quanquam colori, qui plerumq; no-
strum aspectum fallit, minus
confidendum.

CXII

CX